Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

113

Martyrologium ~~Augustanum ad 5 Septembris Ingenuinum~~, ~~Labbeanum Ingenuum~~ annuntiant. Turonense apud Martenium Thes. Anecd. adeundem diem habet Ingenni Episcopi. Alia solam vocem: Ingenni. Jam vero, ad dit Stiltingus ad 5 Septembris; tanto majorem hac suspicionem ingerunt de Ingennino Sabionensi; quod hujus nomen alis diebus non reperiatur in Fastis antiquioribus, licet constet de antiquo ejus cultu. Praeterea Calendarium Lirense apud Roschmannum Disquis. p. II c. 4: Nonis Februarii, S. Agathae Virginis. Ingenuini Episcopi. Item Albuino. Martyrologium Augustanum in Act. SS. t. VII Junii: Nonis Februarii S. Gennini Episcopi Conf. in Bisebona, seu potius Sebona, quo nomine Sabis venit in Diplomate Conradi II Imp. Calendarium Wessofontanum apud Lentnerum Hist. Wessof. p. II. Februarius. --- Nona. Agathae V. et Mart. K II. le. Ingenuini episcopi commem. Calendarium Salisburgense saeculi XI: Nonis Februarii. Agathae Virginis. Ingenuini Martyris. Calendarium Wintherianum Brixinae et Kinderbachianum Tridenti, item Martyrologium Neocellense, ~~ac~~ Bellinianum, ac Galesinii ad Nonis Febr. conjungunt SS. Ingenuinum et Albuinum. Vid. Roschius Annal. Sab. Sec. VI, 546; qui addit: Quae si vera sunt, annot. 244 ait: Quae si vera sunt, Ingenuinus potius obiisse dicendus est Nonis Septembris, et Nonis Februarii S. Albuinus. Nonis porro Februarii S. Ingenuinum, Sebiona Brixinae translatum dixerim, cui in Ecclesia Cathedrali Brixinensi jam quiescenti, S. Albuinus associatus est.

/ saeculi X.

Hic Martyris titulus Ingenuino nostro frequentius tribuitur a tabulis Brixinensibus a Roschmanno in Disquis. ex Tartarotti. et Roschio in Annal. Sab. Sec. VI 544. Cur hoc? Ingenuinum fidei, causa in exilium fuisse pulsum, cum ~~Baronio~~ Brixinenses ex Breviario affirmant, Petrus de Natalibus Cat. SS. l. 3. c. 65. Eos autem, qui pro Christi fide exilium pertulerunt, Martyres appellari, non insolitum fuit.

Annus emortualis certo non scitur. Roschius 605 circiter fuisse suspicatur. Acta SS. Cassiani et Ingenuini Brixinensia haec habent: Sepultus est vero Ingenuinus beatus Pontifex in urbe Sabionensi in Ecclesia, quam beatus suus praedecessor Martyr Cassianus in honore Dei suique Matris Mariae construxerat et dedicaverat, ubi etiam usque adhuc multorum Sanctorum corpora requiescunt. Ex voculis usque adhuc colligo, Compilatorem Actorum haec ~~ex manuscripto antiquiore~~ descripsisse ex monumento S. Albuini antiquiore; utpote cum Corpus S. Ingenuini Brixinam transtulit. Porro cultum S. Ingenuini non modo amplissimum, sed et ~~ampliss~~ antiquissimum esse; partim ex supra dictis constat, partim ~~tab~~ fusius legi potest apud Roschium Annal. Sab. Sec. VI 544 – 51; et Roschmannum in Disquis. Episc. Tartarotti. Ex hoc unicam excerpo Chartam, scriptam sub Antone seu Antonio Episcopo. Is ante Alimum, qui anno ~~769~~ 770 comitiis Bauro~~ch~~anensibus a Thassilone II celebratis interfuit,